

dicere me; nihil enim differt. Nam prius a se poterit quisque discedere, quam appetitum earum rerum, quae sibi conducant, amittere. Jure igitur gravissimi philosophi initium summi boni a natura petiverunt, et illum appetitum rerum ad naturam accommodatarum ingeneratum putaverunt omnibus, qui continentur ea commendatione naturae, qua se ipsi diligunt.

Deinceps videndum est, quoniam satis apertum est, sibi quemque natura esse carum, quae sit hominis natura. Id enim est, de quo quaerimus. — v. s. — Et summatim quidem haec erant de corpore, animoque dicenda. Quibus quasi informatum est, quod hominis natura postulet. Ex quo perspicuum est, quoniam ipsi a nobis diligamur, omniaque et in animo, et in corpore perfecta velimus esse, ea nobis ipsa cara esse propter se, et in his esse ad bene vivendum momenta maxima. Nam cui proposita sit conservatio sui, necesse est huic partes quoque sui caras esse, carioresque, quo perfectiores sint, et magis in suo genere laudabiles. Ea enim vita expetitur, quae sit animi corporisque expleta virtutibus: in eoque summum bonum poni necesse est, quandoquidem id tale esse debet, ut rerum expetendarum sit extremum. Quo cognito, dubitari non potest, quin, quum ipsi homines sibi sint per se, et sua sponte cari, partes quoque et corporis et animi, et earum rerum, quae sunt in utriusque motu et statu, sua caritate colantur, et per se ipsae appetantur. Quibus expositis, facilis est conjectura, ea maxime esse expetenda ex nostris, quae plurimum habent dignitatis: ut optimaе cujusque partis, quae per se expetatur, virtus sit expetenda maxime. Ita fiet, ut animi virtus corporis virtuti anteponatur, animique virtutes non voluntarias vincant virtutes voluntariae: quae quidem proprie virtutes appellantur, multumque excellent, propterea quod ex ratione gignuntur, qua nihil est in homine divinius. Etenim omnium rerum, quas et creat natura et tuetur, quae aut sine animo